



**CONCILIUM
ROMANUM.**



CONCILIUM

ROMANUM

IN SACROSANCTA BASILICA LATERANENSI

CELEBRATUM

ANNO UNIVERSALIS JUBILÆI MDCCXXV.

A BENEDICTO PAPA XIII.

NUNC DENUO RECUSUM

REGNANTE SANCTISSIMO D. N.

BENEDICTO XIV.

PONT. MAX.



ROMÆ MDCCLI.

TYPIS JOANNIS GENEROSI SALOMONI.

SUMPTIBUS HEREDUM JOANNIS LAURENTII BARBIELLINI

IN FORO PASQUINI.

PRESIDUM FACULTATE,



INDICTIO ROMANI CONCILII.

BENEDICTUS PAPA XIII.



Edemptor Noster, qui plantavit vineam suam electam, eamque locavit agricolis, ut redderent fructum temporibus suis, vigilantiam potissimum custodibus commendavit, ut, si quæ mala germina succrevissent, provida solitudine evellerent, ac dissiparent, & per assiduum boni seminis cultum, optimas in horrea, copiosasque fruges inferrent.

Mysticis his monitis, ac præceptis instituta Christi Ecclesia, nihil ad doctrinæ, disciplinæque salutaris fructum conducibilius reputavit, quàm ut prudentes servi, quos posuit Dominus custodes in vineis, statis temporibus convenirent in unum, eorumque collatis in commune consiliis, mores emendarentur, controversiæ componerentur, vineæque florentes latius darent odorem suum. Itaque per sacros Canones sæpe decretam, ut quolibet saltem triennio uniuscujusque Provinciæ Episcopi, legitime congregati, Provinciam Synodum celebrarent; eumque morem, sicubi obsolevisset, Sacrosancta Tridentina Synodus renovandum, restituendumque curavit. Ac Nos quidem, cum in Beneventana nostra Ecclesia resideremus, gravissimis licet calamitatibus conflictati, ac terræ motibus horribiliter jam tertio concussi, ac prope ruinis oppressi, Metropoli ipsa collapsa, & solo pene æquata. S. PHILIPPI NERII præsentis ope servati, canonicæ hujus observationis officium semel, & iterum obire non prætermisimus. Ad hanc vero Apostolicæ Sedis formidandam altitudinem evecti, universæque vineæ Domini Sabaoth, licet immerentes, præpositi, nihil antiquius habuimus, quàm ut saluberrimam hanc Episcopalis muneris partem, & ipsi præstaremus alacrius, & ceteris explendam vehementius commendaremus, primæ hujus Sedis exemplo; ut cujus Episcopale viget Magisterium, Episcopalis etiam servitutis forma, cunctis Ecclesiæ Pastoribus ad imitandum proposita, operarios ad laborem magis accenderet, atque ad uberiores agri Dominici fructum redundaret, Accessit præterea ad studiorum nostrorum in-

cita-

DECRETA
CONCILII ROMANI
CELEBRATI ANNO JUBILÆI
M D C C X X V.

Diebus 15. 22. 29. Aprilis: & 6. 13. 22. 27.
& 29. Maii.

TITULUS I.

De Summa Trinitate, & Fide Catholica.

C A P. I.

*Fidei professio in Conciliis emittenda: Quando, & a quibus
extra Synodales conventus?*



IN nomine sanctissimæ, ac individuæ Trinitatis, Pa-
tris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Amen.*

Sanctam, Catholicam, & Apostolicam fidem, hu-
manæ salutis initium, Christiani ædificii basim, divi-
nique Numinis cultus firmamentum, sacrosanctam, quam
coluit, & colit, docetque, atque docuit Romana
Ecclesia, quaque justus homo vivit, & sine qua im-
possibile est placere Deo, integram cum primis, & inviolatam ab
omnibus tenendam, atque custodiendam decernentes, mysticum ejus-
dem nostræ fidei fundamentum, supra quod nemo aliud ponere potest,
Jesum Christum Dominum Nostrum obsecramus, ne unquam nostris
ipse malis offensus, velut olim in navi dormire videatur, sed sponsæ
suz Ecclesiæ vocibus semper excitatus, semperque erectus, in brachio
virtutis suæ ejus disperdat inimicos, ventisque superbix, marique in-
constantix imperet, cessentque tempestates: hæreses tollat, falsa dog-
mata dissipet, & Apostolicam navem tuta semper statione conservet.
Interim, ut iis, qui corde in fide ipsa firmi sunt, & stabiles ad justi-
tiam, ore insuper confessio fiat ad salutem; Tridentini Nos Concilii
decreto (a) inhærentes, ipsam fidei professionem eisdem verbis, qui-
bus.

A

bus.

(a) Sess. 24. de refor. cap. 12